



Uemadmodum planè falsum est,  
nec hodie demum à gravibus viris con-  
futatum, quod *Johannes Bodinus* senten-  
tiam de quatuor Monarchiis (de quibus  
tamen rectissimè dicunt Chronologi,  
*Quatuor monarchias esse historia columnas*)  
inveteratum vocat errorem ac magni-  
rum virorum opinione pervulgatum,  
qui tām altē radices egerit, ut vix evelli  
posse videatur: ita verissimum est & gravissimum *Francisci Bal-  
duini ICTI Parisiensis* pronunciatum, quōd non modò apud Ju-  
dæos, sed & apud Ægyptios, Chaldæos, Persas, Romanos, historiæ,  
tanquam rei sacrosanctæ, cura Sacerdotibus mandata fuerit, ipsiq;  
etiam reges & principes maximi, & doctissimi ac nobilissimi quiq;  
viri hanc deinde provinciam susceperint: nam neq; aliis temere  
tantum permittebatur, neq; sanè cuivis licere hoc debet, adeò ut  
vetus quoq; Ecclesia, quod ex *B. Hieronymo* deduci potest, delectos  
suos habuerit actuarios, qui & diligenter & bonâ fide collegerunt,  
publicâq; autoritate suarum rerum memoriam consignaverunt.  
Quò magis miranda est *Bodini* contumelia, quâ Danielē Pro-  
phetam sanctissimum afficit, quod ipius verba super hāc re ob-  
scura sint & ambigua, inq; variostorqueri possint sensus: in quo  
ei bellè quoq; convenit cum *Johanne Calvinō*, qui de libro Apo-  
calypseos sententiam rogatus, nescio an urbanè magis an inurba-  
nè seu impiè potius, respondit, *Se penitus ignorare quid velit tām  
obscurus scriptor, ut, qui qualisq; fuerit, inter eruditos nondum con-  
suet.*